B. N. C
FIRENZE
1116
12

Digitized by Google

1116.12

Digitized by Google

1116. 12

116

ZZ4

1116.12

OFFICIVM CVM MISSA
S. STEPHANI
PAPÆ, ET MARTYRIS
Sacri Militaris Ordinis Equitum
PATRONI

A Sacra Congregatione Rituum approbatum.



MED.PALAT. BIBL.CAES.
BIBLIOTECA ... 1872

ROMÆ, Typis Reu. Cameræ Apoſtolicæ. 1690.

Superiorum Permiſſu, & Priuilegio.

IN FESTO
S. STEPHANI
PAPÆ, ET MARTYRIS
Patroni Equeſtris Ordinis ſub nomine eiuſdem Sancti inſtituti.

Lectio iv.

STephanus Iulij filius, Romanus, Beati Cornelij Papæ, & Martyris Archidiaconus, ac poſt Lucium, eiuſdem ſucceſſor, Valeriano, & Gallieno imperantibus, difficillimis temporibus, Romanam rexit Eccleſiam. Nouatianos lapſis omnem ad pænitentiam aditum intercludentes, veluti infeſtiſſimos Chriſtianæ pietatis hoſtes, Pōtificia auctoritate damnauit, Marciano Arelatenſi eorumdem in Gallijs anteſignano, Epiſcopali ſede deiecto. Cum plerique ſanctitate, ac doctrina inſignes Epiſcopi in Aſia, atque Africa coactis Synodis, baptizatos ab Hæreticis, ac dein ad Catholicam Fidem accedentes, iterum ſalutaribus vndis abluendos eſſe ſanxiſſent, Stephanus Apoſtolicæ traditionis aſſertor, erroneam illorum ſententiam grauiſſimis reſcriptis damnauit, Sācto Cypriano ſcribens: Nihil innouetur, niſi quod traditum eſt; quod Stephani decretum vniuerſa poſteà Eccleſia ſequuta eſt, idemque contra Donatiſtas Sanctus Auguſtinus ſolidè propugnauit: Tu autem Domine miſerere nobis.

Lectio v.

DE Chriſtiana Religione augenda ſollicitus, plurimos ad Chriſti fidem conuertit, in ijs Olympium Tribunum cum vxore Exuperia, & filio Theodulo; Item Neméſium Tribunum cum tota familia, oculis Lucillæ eius filiæ reſtitutis; qui omnes Ieſu Chriſti Martyres fuerunt. Idem ſemel centum, & octo, & iterum alios ſeptuaginta promiſcui ſexus ab Idolorum ſuperſtitione ad Chriſti cultum adductos baptizauit: ſed vehementer iamiam ingraueſcente perſecutione Imperatorum, Stephanus, conuocato Clero, ad Martyrium ſuos hortabatur, in Cryptiſque Martyrum aſſiduè Miſſas, & Cōcilia celebrabat; Qui cum aliquando raptus eſſet ab Infidelibus ad Templum Martis, vt ei ſacrificaret, liberè negauit, ſe dæmonibus eum honorem velle tribuere, qui vni Deo deberetur. Quibus in verbis Martis Statua terræmotu concidit, Templumque contremuit; Quare omnibus aufugientibus, qui Stephanum tenebant, ad ſuos reuertitur in Cœmeterium Lucinæ. T u autem Domine &c.

Lectio vj.

CVm verò Stephanus aſſiduis concionibus, vti proximè dato exemplo iam fecerat, ad Chriſtianam Religionem inter ſequientis perſecutionis procellas, ſeruandam, fideles hortaretur, eoſque diuinis præceptis inſtrueret, dum Miſſarum ſolemnia perficit, aduenientibus iterum Imperatorũ ſatellitibus, ei in ſua Sede caput abſcinditur. Corpus cum eadem Sede conſperſa Martyris ſanguine à Clericis ſepultum eſt in Cœmeterio Calliſti quarto Nonas Auguſti. Vixit in Pontificatu annos tres, menſes tres, dies viginti duos; Habuit ordinationes duas menſe

menſe Decembri, quibus creauit Presbyteros ſex, Diaconos quinque, Epiſcopos tres. Erga quem Beatum Pontificem ſingulari deuotione permotus Coſmus Medices Primus Magnus Dux, inſtitutum abs ſe Sacrum Equitum Ordinem, de eiuſdem Sancti Stephani nomine nuncupauit, quem à Pio IV. anno Domini 1561. approbatum; Succeſſores quoque Romani Pontifices inſignibus priuilegijs cumularunt. Coſmus itidē Tertius Magnus Dux, & Equitum Magiſter ſolemni ſupplicatione Beati Stephani Reliquijs in Principe Equitum Eccleſia Piſis collocatis, eiuſdem Officium ſub ritu duplici minori in ſuis Ditionibus recitandum ab Innocentio Vndecimo Pōtifice Maximo obtinuit, quod poſteà Alexander Octauus Pontifex Maximus cum proprijs lectionibus in Eccleſijs Equeſtris Ordinis, ac ab Equitibus Sacerdotibus, vti de Patrono perſoluendum, indulſit. Tu autem &c.

Pro Clero Seculari, & Regulari. Omnia de Communi vnius Martyris, exceptis Lectionibus ſecundi Nocturni, quæ habentur propriæ.

Pro Eccleſijs verò Equeſtris Ordinis, & Equitibus Sacerdotibus, Omnia pariter de Communi vnius Martyris, exceptis prædictis Lectionibus ſecundi Nocturni, Antiphonis in vtriſque Veſperis, ad Benedictus, ac Oratione, quæ habentur proprię, vt infra.

In primis Veſperis
Ad Magnificat Antiph.

Dum eſſet Summus Pontifex, terrena non metuit, ſed ad cæleſtia regna, effuſo ſanguine, glorioſus migrauit.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ad maiorem tuæ fidei exalta-

rationem ſub vexillo Sanctæ Crucis. Milites tuos in Beati Martyris, & Pontificis Stephani protectione inſtitui voluiſti: concede nobis famulis tuis, vt qui eius natalitia ſolemniter celebramus, certantes in terris in hoc ſigno, hoſtium tuorum ſuperbiam elidere, & tecũ in cælis cum eo regnare mereamur. Per Dñm.

Ad Benedictus Aña.

Sepelierunt Stephanum Sacerdotes, & Leuitæ, & fecerunt planctum magnum ſuper eum, qui pręibat ante faciem Domini parare viam eis.

In ſecundis Veſperis

Ad Magnificat Antiph.

O virum ineffabilem, cui in ſua ſede pro Chriſti nomine caput abſcinditur. O beatum Pontificem, cuius anima Paradiſum poſſidet, vbi gloria, & honore coronatus, Equitibus ſuis in Crucis ſigno certantibus, glorioſos de immani hoſte triumphos impetrare non ceſſat. Alleluia.

MISSA de communi vnius Martyris: ſed in Eccleſijs Equeſtris Ordinis Oratio, vt ſupra Omnipotens ſempiterne Deus, qui &c.

AD enixas preces Sereniſſimi Magni Etruriæ Ducis, ac Magni Magiſtri Ordinis Militaris Sancti Stephani Papæ, & Mart. præmiſſas Lectiones pro ſecundo Nocturno cum Oratione, & Antiphonis proprijs in vtriſque Veſperis, & ad Benedictus, vt ſupra iacent diſpoſitas ab Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo D. Cardinali Caſanate diligentèr reuiſas, & correctas, ac in Sacror. Rit. Congregatione ab eodem relatas, pro Eccleſijs Equeſtris Ordinis, & Equitibus Sacerdotibus eadem Sac. Congregatio approbauit. Pro Clero tamen Sæculari, & Regulari vtriuſque ſexus totius Dominij dicti Sereniſ-

niſſimi Magni Ducis, qui ad Horas Canonicas tenentur dictas Lectiones proprias dumtaxat in die eiuſdem Sancti feſto reſpectiuè recitari, & imprimi poſſe conceſſit, ſi Sanctiſſimo D. N. placuerit. Die 2. Decembris 1690.

Et facto de prædictis verbo per me Secretarium cum Sanctiſſimo, Sanctitas Sua benignè annuit die 4. eiuſdem menſis, & anni 1690.

A. Epiſc. Oſtien. Card. Cybò.

Locus ✝ Sigilli.

Ioſeph Vallemanus Sac. Rit. Congreg. Secret.

99 960814

Z

Digitized by Google

Digitized by Google

MC

Digitized by Google